

vagantur atque in his terminantur. Hinc omnes nervi a cerebro ducunt originem & cinguntur membranulis a meningibus cerebri productis. *Truncus* corporis thorace seu pectore, & abdomine seu ventre infimo constat. In trunco reperitur *spina dorsæ*, quam componunt 24. vertebræ veræ, & 9 spuria. In medio singularum vertebrarum est largum foramen, & foramina illa in omnibus vertebris sibi invicem impositis longum illum & amplum canalem formant, quo medulla spinalis continetur, quæ nervos suos ubique, intra vertebrae utrinque per corporis partes dimittit. Hæc pauca dicta sint quæ ad explicandas sensationes sufficiunt; cæterum hæc omnia visu melius quam auditu percipiuntur.

III. Quod spectat animæ sedem, certum est mentem humanam non esse in corpore eodem modo ac corpus est in loco; neque enim anima utpote spiritualis in modum corporis extendi potest. Nonnulli quidem, ut explicent quomodo anima sit in corpore, admittunt extensionem animæ non *formalem* seu proprie dictam, quæ aperte spiritui repugnat, sed *virtualem* ita ut anima diversis spatii partibus respondeat per *idem sui simplex & indivisibile*. Verum extensio illa virtualis intelligi nequaquam potest & videtur absurda. Anima non aliter corpori præsens esse cognoscitur quam quia in illo operatur. Unde censenda est residere in omnibus & singulis corporis partibus, si agat immediate in omnes corporis partes: si autem pars est unica, in quam immediate operetur, in ea sola.